8464 bb 41

THESES PHILOSOPHICÆ,

Quas (*Favente Deo*) ABREDONIÆ, in inclyta *Academia Marischallana, Universitatis* CAROLINÆ; sub præsidio THOMÆ BURNET ibidem *Philosophiæ Professoris*, publicè propugnabunt; splendida laureæ corollâ hac vice condecorandi, ad diem 24 *Junii*, horis & loco solitis.

Grotius in proleg. ad tract. de jure belli & pacis. *Ego illorum philosophorum sequor libertatem qui in nullius sectam juraverant: non quod iis assentirer, qui nihil percipi posse dicebant, quo nihil stultius est: sed quod nullam esse sectam putem, quæ omne verum vidisset & nullam quæ non aliquid ex vero.*

ABREDONIÆ, Excudebat IOANNES FORBES, URBIS & UNIVERSITATIS Typographus 1686.

BRITISH MUSEUM

Illuſtriſſimo, ac Potentiſſimo Principi,

GEORGIO

Duci GORDON.

Marchioni de *HUNTLY*, Comiti de *Huntly* & *Aingie*, Vicecomiti de *Inverneſs*, Regulo *Achindoun*, *Badzenoch*, *Lochaber*, *Glenlivet*, *Strathaven*, *&c.* Famigerato GORDONIORUM Principi, Strenuiſſimo *Arcis Edinburgenſis* præfecto, intimo *REGIS* Conſiliario, Borealis *Britanniæ* plagæ, concordi omnium virtutum nitore, ac Venuſtiſſimo ſplendore *Syderi* fulgentiſſimo, Mæcenati ſuo maximopere ſuſpiciendo, & æternùm Honorando.

NOBILISSIME HEROS,

MAgnorum Virorum ſcripta, lucem ſine Levana, (ut validæ matris fœtus) aſpirare non verentur, luce, ſua omnes invidiæ & malevolentiæ tenebras diſcutiunt, virtute ſua omnem calumniam, detractionem, & ejuſmodi monſtra jugulant: non tam Mæcenates quærunt, quam ab iis quæruntur. Aſt qui de plebe ſunt, & minorum gentium Dii ſi quando parturiunt Dnis Nixiis egent, ſuæ imbecillitatis conſcii, aliorum humeris ſe ſuſtentant. Noſtra hæc diſſertatio philoſophica nec tam digna quæ patronum quærat, nec tam grata quæ quæratur,

 quoliſ-

Illustrissimo, ac Potentissimo Principi,

GEORGIO

Duci GORDON,

Marchioni de *HUNTLY*, Comiti de *Huntly* & *Aingie*, Vicecomiti de *Inverness*, Regulo *Achindoun*, *Badzenoch*, *Lochaber*, *Glenlivet*, *Strathaven*, &c. Famigerato GORDONIORUM Principi, Strenuissimo *Arcis Edinburgensis* præfecto, intimo *REGIS* Consiliario, Borealis *Britanniæ* plagæ, concordi omnium virtutum nitore, ac Venustissimo splendore *Sydera* fulgentissimo, Mæcenati suo maximopere suspiciendo, & æternùm Honorando.

NOBILISSIME HEROS,

Magnorum Virorum scripta, lucem sine Levana, (ut validæ matris fœtus) adspirare non verentur, luce, sua omnes invidiæ & malevolentiæ tenebras discutiunt, virtute sua omnem calumniam, detractionem, & ejusmodi monstra jugulant: non tam Mæcenates quærunt, quam eb eis quæruntur. Ast qui de plebe sunt, & minorum gentium Dii si quando parturiunt Dis Nixus egent, suæ imbecillitatis conscii, aliorum humeris se sustentant. Nostra hæc dissertatio philosophica nec tam digna quæ patronum quærat, nec tam gratia quæ quæratur,

quali-

qualiscunque tamen sit, humillimè impetramus, ut sub felicissimis Celsitudinis vestræ auspiciis, orbis lucem videat, & fulgentissimis nominis tui radiis collustretur.

Mæcenatem opportuniorem præoptare nequeam, quam vorticis nostri borealis Solem, in quo elucescunt omnia quæ Principem ornant: antiquissima & inclyta stemmatis claritas, amplitudo opum copiosa, gloriosa dominatûs potentia, promptissimum & sublime ingenium, acerrimum judicium, incomparabilis prudentia, admiranda facundia, incredibilis memoria, stupenda eruditio: sed supra hæc, singularis & perpetua tua, & majorum, erga Principem, & Patriam fides, & admiranda fortitudo, pro utriusque dignitate tuenda, dum intestina fervorent in regno dissidia & privata querelarum incendia in publicam exarderent flammam.

Sileo majores tuos, qui regno Malcolmi Canmoir *cognominati,* Brusiorum *& sequentium Regum, multa egregia & maxima præstitere, non solum inter suos, sed & Anglos, Gallos, & Saracenos: & ob singularia in Reges merita, variis officiorum generibus, & spatiosissimis agrorum latifundiis remunerabantur. In primis memorem, illustrissimum* Alexandrum *primum Comitem* Huntleum, *qui filiam Regis* Jacobi *primi uxorem duxit. Qui cum* Dowglassii *ingentem exercitum contra Regem* Jacobum *secundum conscripsisset, unde Rex rebus suis timens, Franciam cogitabat: omnium cogitatione ac spe citius cum* Forbesiis, Lesleis, Irvingis, Ogilveis, Grantis, *Clientibus suis præsto aderat Comes, & ad Brechinum Crawfordiæ Comitem (qui cum valida procerum & plebis manu se ei objecit, ut viam ad Regem intercluderet) penitus fudit; multo tamen cum suorum sanguine, duobus fratribus, cum magno Gentilium & Clientium numero cæsis: quo infortunio Dowglassii socii perculsi fugam capesserunt. Rex præter spem victoriâ potitus, Comiti* Badzenochtam & Loquhabriam *impertivit.*

Huic successit Georgius *secundus Comes quem* Jacobus *tertius (quod paternæ fidelitatis & fortitudinis hæres existeret) summa Cancellariatus dignitate ornavit.*

Deinde, Jacobi *quarti Regno, ad* Fleudonium *montem* Alexander *tertius Comes, exercitus Scoticani dextrum cornu tenens, oppositam Anglorum alam brevi profligavit, licet alii exercitus Duces* Huntlei *successu nimis audaces in hostem solutis ordinibus temerè irruentes, damna quædam passi sint. Rege desiderato regni ordines inviolabilem Comitis erga Principem & Patriam fidem experti, post Reginam viduam, durante tenella Regis ætatulâ cum primum Rei-publicæ curatorem nominarunt, Invernessiæ & Abredoniæ*

vice

vice Comitatu, & quicquid terrarum eſt ultra Caledonios montes præfecturæ amplificarunt.

Huic ſucceſſit Georgius *quem* Jacobus *quintus (quod ex ſororis ſuæ viſcribus natus eſſet) omni virtutis doctrinæque genere inſtituendum curavit; & ad provectam perveniens ætatem, ſingulos quibuſcum verſabatur ſuavi virtutum ſuarum odore perfudit: potentiſſimus erat ſubditus quem unquam Scotia aluit, & celſiſſimus Regni Cancellarius. Et cum* Angliæ *protectur ingenti exercitu* Scotiam *invaſiſſet, quod* Mariam *Reginam in uxorem* Edwardo *Principi, & cum ea* Scotiæ *Regnum occupare non potuit; Pro-rex & proceres rati, tutum non eſſe cum tam valido hoſte in ſuo Regno belli aleam tentare, idem fortiſſimus Comes dextram alam exercitus Scoticani ducens, cui cum magnanimis majoribus, commune erat Principis & Patriæ ſalutem, propria præferre,* Angliæ *protectorem per ſocialem provocavit, ut ſingulari inter illos certamine finis querelæ imponeretur. Quem ob id & alia clariſſima facta* Anglorum *annaliſtæ ſtrenuiſſimum* Gordonium *appellant, & exteri* Scotiæ *prudentiam,* Angliæ *terrorem memorant.*

Georgius *quintus Comes Reginæ adeo charus erat, ut patri in ſumma Cancellariatus dignitate ſucceſſorem nominaret, & demum, cum deformis nefariorum tenebrionum colluvies, ruptis divinis legibus, violatis ſacramentis, in Principis ſui glorioſi ac martyrio coronatum caput conſpiraſſet: familia veſtra, quod partibus Regis firmiter adhæſerit, a rebellibus illis pene extirpata eſt. Avus decollatus, Patruus ſenior in acie pro Rege dimicans, occiſus; Patruus junior exulatus, Pater omnibus opibus ſpoliatus, quibus ſe ditavere rebelles. Sed quorſum majorum tuorum virtutes & laudes recorder, an quia non eſt quod de te dicam? nequaquam; verum eſt te a viris ſeu potius Heroibus originem duciſſe, qui in proſperis & adverſis, bello & pace, manu & conſilio, Principi & Patriæ præſtitere obſequia.*

At in te (Illuſtriſſime Princeps) natura videtur omnes omnium gentilium tuorum cumulaſſe virtutes, in ætatis enim tuæ primis rudimentis omnia virtutum ſemina apparuerunt, quibus non modo ſui ſed & Itali, Galli, Batavi, & alii Europæ Principes incredibili tui amore inflammabantur, apud quos innumera veræ fortitudinis & ſummæ prudentiæ edidiſti ſpecimina, quæ ſi exprimere cogitarem, optimi erubeſcerent, potentiſſimi irriderent, perditi odio haberent. Omnem mortalium fidem longe excederem, & nunc quanta in moribus auctoritas emicat! In dictis quanta gravitas! In geſtu quam caſtigata ſeveritas! In vita quam conſummata virtutis integritas! Quam vehemens deſiderium pervi-

vendi

mundi ad summum omnis exultationis fastigium? Quam stupendum in omnes passiones moderamen & imperium? Adeo ut inter optimos nobilissimus, inter nobilissimos optimus, inter utrosque doctissimus reciteris. Cum summa pariter Angliæ familia post Regiam cognatione tuneos es. Coronidis vice te laudat intemerata fides erga Regem, dum pernicioso aliquot jubditi, indubitatum Principem è solio dejecere, Regnum a fundamentis evertere statuissent, ne vir lenis machinationibus potiti, ipsi soli toti regnis toti gentibus impune dominarentur? Quantam fiduciam in Celsitudine tua reposuit Serenissimus Rex? Quam alacri animo clientibus & amicis convocatis per innumera pericula in locis maxime montanis & asperis Regis & Regni hostes venatus es. Verum non immerito mireberis (Illustrissime Princeps) quod tam exiguum & observantiæ meæ tam disparem argumentum celeberrimo nomini tuo consecrem sed insignis tuæ Celsitudinis humanitas, quam tui clientes admirantur, me jam thure destitutum cum molis hisce salsis comparere jussit. Ne dedigneris itaque schedulam hanc cum ipsius authore in benignissimam tuam recipere clientelam, ego clientis vice defungar, & pro Celsitudinis tuæ ac totius splendidissimæ Familiæ salute & incolumitate indefessas preces feram, cum sim

Illustrissimæ Celsitudinis vestræ devotissimus cultor.

THOMAS BURNET PRÆSES.

CANDIDATI.

D. DAVID LINDSAY,
D. IACOBUS CARNEGIE,
Alexander Guthrie,
Alexander Leslie,
Alexander Maitland,
Alexander Moir *major*,
Alexander Moir *minor*,
Alexander Pyper,
Andreas Burnet,
Andreas Gray,
Andreas Rose,
Georgius Nairne,
Georgius Reith,
Georgius Rose,
Gulielmus Couts,
Gulielmus Gaitcomb *Anglus*,
Gulielmus Lesslie,
Gulielmus Lindsay,
Iacobus Fraser,
Iacobus Maitland,
Iacobus Milne,
Ioannes Abernethie,
Ioannes Gray,
Icannes Nairne,
Ioannes Ramsay,
Ioannes Spense,
Ioannes Stewart,
Patricius Nairne,
Patricius Thomson,
Robertus Gordon,
Robertus Straquhan,
Thomas Bacon *Anglus*,
Thomas Sutherland,
WALTERUS DOWGLAS.

THESES

THESES PHILOSOPHICÆ.

Licet *Cart. dissert. de meth.* asseras illius populi statum esse felicissimum qui paucas habent leges, sed quæ accuratissimè observantur, ac proinde pro immensa illa præceptorum multitudine quibus logica referta est, quatuor regulas ab eo propositas ad veritatem indagandam sufficituras arbitratus sit, modò ab illis toto vitæ tempore non deflectatur: ejus vestigia hoc in puncto non premimus. Fatemur philosophorum scholas nimis subtilitatibus & morosis captiosisque distinctionibus indulsisse, & ut olim *Euclides Megarensis*, immoderata Logicæ cura [illegible] animis instillasse, multa tamen sunt bonæ frugis in vegrandibus illis scholasticorum voluminibus, de natura operationum intellectus, de vi ratiocinandi, de fundamentis & principiis veritatis, quæ ab omni fæce repurgata non sine operæpretio intra scholarum parietes admitti debent: nullam scimus logicæ synopsin, quæ magis aptas præscribit regulas pro ideis, judiciis, & ratiociniis nostris rite formandis quam *Ars Cogitandi* in qua omissis illis inutilibus quæstionibus de universali a parte rei, de relationibus, entibus rationis, secundisve intentionibus, aliisque ejusdem farinæ, quibus philosophorum quorundam libri scatent: sola scitu necessaria proponuntur, & quæ gressus nostros in veritatis indagatione regant. Et cum plærique in vero dignoscendo ideo cæcutiant, quod cogitationes suas & judicia accurata trutinatione non penitent unde sciolorum arrogantia, *Pyrrhonicorum* dementia, & omnes illæ falsæ opiniones, quæ ab infantiæ, educationis, authoritatis, & sensuum præjudiciis pullulant; unicum modum quo hisce omnibus medendum sit, præscribit, nempe omnem mentis præcipitationem vitare, & non nisi adhibita debitæ attentionis cautelâ, & serio præmisso examine, de rebus judicare: ab iis etiam investigandis abstinere, quæ supra nos sunt: & quorum comprehendendorum spes nulla ratio-

nabilis

nabilis ſubeſt. Securè etiam acquieſcere in concurrentibus ſenſus & rationis teſtimoniis, quod objecta percepta ſint realia & non merè phantaſmata.

II. Quod in natura contemplandum venit, ad ſpiritum & materiam, potentiam & modum reduci poteſt, inter ſubſtantias ſpirituales, una eſt infinita *viz.* Deus; contra execrabiles illos atheos *Spinoſam*, *Vaninum* & *Hobbeſium*: ejuſque exiſtentia innumeris argumentis à variis Philoſophis evincitur, & inter alios ſolidè demonſtratur a *Cart. medit.* 3. & 5. ex eo quod inſit nobis idea entis infinitè perfecti ergo exiſtit extra nos ens infinitè perfectum, cæteræ ſubſtantiæ ſpirituales ſunt finitæ & illarum quaſdam propria experientiâ cognoſcimus uniri materiæ: quæ unio videtur conſiſtere in hoc, quod poſitis quibuſdam modificationibus in corpore, excitentur in anima certæ cogitationes, & vice verſa contra *Malebrantium*, qui in tractatu quem deſignat *la Recherche de la verite*, omnes noſtras cogitationes a Deo ſolo fieri docet, & nullo modo ab impreſſionibus objectorum: ita ut ne vel determinatio noſtrarum cogitationum in noſtra poteſtate ſit. Mens humana eſt immaterialis, immortalis, nullibi exiſtens, & motus incapax; & totum quod de illa clarè & diſtinctè percipimus eſt quod ſit res cogitans *i. e.* activam potentiam cogitandi habens licet actu non ſemper cogitet. Nec huic obſtat, quod ſi mens ſemel cogitare deſinat, nunquam poſtea cogitabit. Cum cogitatio reſtitui poterit, primò ab impreſſione objectorum per ſenſus, ut expergiſcimur cum dormimus. 2. Ab impreſſione ab Angelis bonis vel malis, qui ſæpe cogitationes in nobis excitant. 3. Ab idæis menti inſcriptis, quibus ſemper impellimur ad cogitationes de ipſarum objectis, niſi divertantur ab extrinſecis impreſſionibus. 4. Per excitationes a memoria. unde experimur quod quæ vividiorem impreſſionem inferunt, non ſolum cogitationes primis ſimiles continuant, ſed ceſſantes reminiſcentiâ reſtituant: denique Deus multas cogitationes in nobis excitat. Mens multo notior eſt corpore. Quæ mente cognoſcimus multò certiora ſunt quam quæ ſenſibus. Ex propria exiſtentia, omnium aliarum rerum exiſtentiam ingenioſè admodum deducit *Carteſ. Medit. 6.* Ejuſdem opinionem *p. 1. de methodo* Pariter approbamus, quod omnium hominum mentes ſint æquè perfectæ, cum nulla res ſit æquabilius diſtributa quam bona mens.

III. Intel-

III. Intellectus & voluntas sunt duæ mentis humanæ facultates, quæ nec ab ipsa, nec a seinvicem distinguuntur: intellectus est potentia passiva & necessaria, ejusque actus sunt vel intellectiones puræ, vel imaginationes, vel sensuum perceptiones: aliud est purè intelligere, aliud imaginari; ut ostendit, *Cart. med. 6. & ars cogitandi c. 1. p. 1.* exemplo trianguli & chiliogoni: & multa sunt in intellectu quæ nunquam per aliquem sensum ingressa sunt, contra *Aristotelis* & *Epicuri* sequaces: voluntas est potentia activa & libera: nihil tamen est volitum quin præcognitum, & fertur semper in bonum, nunquam in malum qua malum. Boni & mali unica norma & lydius lapis est natura Dei rationalis, cujus imago aliqua, ab omnipotente Deo, mentibus omnium hominum est impressa: ejus dictamina sunt jura naturæ, quæ nobis indicant, quomodo omnes nostras moderemur passiones, ut tandem fœlicitatem assequamur: jus naturæ est immutabile, & quando imago aliqua mutationis apparet, sola est in re de qua jus naturæ constituit, *Grot. de jure belli & pacis l. 1. c. 1.* latè sumptum bene definitur, *inst. pr. de ju. n. g. & civ.* & *l. 1. §. 3. ff. de just. & ju.* Quod natura omnia animalia docuit: bruta non sunt rationalia nec libera: sed quæ faciunt; procedere credimus ex principio aliquo intelligente extrinseco: honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere, sunt tria generalissima juris naturalis strictiùs sumpti præcepta; primo repugnat furtum, adulterium, concubinatus, imo omnis coitus extra matrimonium: contra *Platonem in 5. de Re-pub.* usuræ, usucapiones, repressaliæ, restitutio minorum, senatus consultum *Macedonianum*, *Velleianum*, & quod ex nudo pacto non detur actio civilis, non adversantur secundo, nec bellum privatum, si fiat ob corporis defensionem necessariam, & cum moderamine inculpatæ tutelæ; neque publicum, modò a populo aut Principe superiorem non recognoscente, alteri simili populo aut principi indicetur, publicè denuncietur, & justa sit causa: justissimam belli causam esse principi cogendi armis rebelles & ab imperio deficientes nemo negaverit, propter injuriam quam Deo inferunt, cujus ordinationi resistunt, qui potestati resistunt. Jus suum cuique tribuitur quando honores & onera secundum proportionem geometricam distribuuntur & in contractibus spontaneis & invitis μονοπλευροις vel διπλευροις æqualitas secundum proportionem arithmeticam servatur: contra hoc præceptum

peccant, qui ſpurios ad ſucceſſionem in privata hæreditate vocant, quanto magis in regno, a quo ipſos abigerent peculiares rationes licet in privatis ſuccederent. *Arniſæo teſte de doct. polit. c. 9.*

I V. Juris naturæ eſt ſocietas, quæ eò tendit, ut ſuum cuique ſalvum ſit communi ope ac conſpiratione, quæ tamen durare nequit ſine Politia, legibus & magiſtratibus, quibus humana coercetur audacia, & inter improbos innocentia ſecuritate lætatur. Oleum & operam perdunt Politici, diſputantes de præſtantiſſima regiminis forma, cujus tres ad ſummum inſtitui poſſunt ſpecies, vel enim in totius multitudinis manu ſita eſt ſummæ poteſtas, & *Democratia* dicitur. Vel conſentiente multitudine ad paucos ſelectos *Reipublicæ* adminiſtratio defertur, & Ariſtocratia eſt. Vel omnes ſe unius imperio ſubjiciunt, & ſic Monarchia conſtituitur: quæ vel eſt elective, vel hæreditaria: quis non videt Monarchiam eamque hæreditariam omnibus aliis eſſe præferendam? Species ab his diverſa aut ex omnibus mixta concipi nequit: quippe ſuprema poteſtas eſt indiviſibilis: quomodo itaque regiminis formæ, quæ Democratia & Ariſtocratia appellantur verè tales ſint non intelligimus. Regem ſumma & abſolutiſſima facit poteſtas, ipſe ſolus eſt legiſlator, & ab omni lege, ſive à ſe, ſive à præceſſoribus ſuis lata, quoad utramque vim coactivam & directivam ſolutus eſt *l. 31. ff. de leg. Struv. in commen. ad eundem Tit.* ſolis Dei & naturæ legibus manet ſubjectus. Regi inſit poteſtas ſolvendi aliquem à legibus, & irrogandi privilegia, leges abrogandi, ſcelera remittendi, ſententiam paſſos in integrum reſtituendi, magiſtratus quoſcunque, & cum mero, & cum mixto imperio, conſtituendi. Penes eum eſt jus belli & pacis, omnes lites ſine provocatione dirimere, vectigalia imponere, monetam cudere, ſpurios legitimare ſolus poteſt. Omnia Rex poſſidet imperio *Accurſ. in proœm. ad tit. de verb. ſig.* Et Regem noſtrum JACOBUM ſeptimum (quem Deus per multas annorum decades in vivis ſoſpitet) abſolutiſſimum eſſe Monarcham *Scotiæ* jus vetus, ſupremi ſenatuſconſulta, prudentum reſponſa, & ipſa Monarchiæ natura evincunt: ſubditorum intereſſe & officium eſt, humillimum mandatis regiis præſtare obſequium, neque ſub ullo prætextu, ſive libertatis, ſive religionis aſſerendæ vel privatis, vel tribus Regni ordinibus, in concilio publico convocatis ſupremo principi reſiſtere licet. Iniquè agunt cum erudito

Grotio

Grotio perduelles quidam, qui uſurpant tanti viri authoritatem ut ſuadeant ſummum imperium tenentibus reſiſti poſſe: *cum lib. 1. cap. 4 de jure belli.* hoc contrariari juri naturæ, juri divino poſitivo, & veteri Chriſtianorum praxi demonſtret: & licet in republica natus, & educatus, appellat tamen opinionis talis aſſertores, temporibus & locis nimium Servientes.

V. Qui ventilant ſe inveniſſe principia per quæ omnia naturæ phœnomena explicari poſſunt faſtuoſis chymiſtis meritò aſſimilantur, qui jactitant de invento lapidis philoſophici, quo omnia metalla in aurum tranſmutare, morbos omnes ſanare, & ad perfectam ſanitatem, imò & immortalitatem humanam vitam deducere poterant. Nec mirum, cum opera naturæ ſint opera ſummæ intelligentiæ, quam anxiè diſputant philoſophi, de corpuſculis primis, ex quibus fiunt, & in quæ reſolvuntur omnia. *Zeno* tenuit omnia corpora fieri ex indiviſibilibus ſine extenſione & partibus. *Democritus* & *Epicurus* ex atomis extenſis, tamen & indiviſibilibus. *Anaxagoras* ex infinitis heterogeneis. *Heraclitus* ex igne. *Thales* ex aqua: contra quos omnes inſurgit *Ariſtoteles*, contendens quatuor vulgaria elementa eſſe ſimpliciſſima corpora & prima miſtorum conſtitutiva, præter Cœlum. *Epicuri* hypotheſin reformavit *Gaſſendus* & atomos agnoſcit eſſe creatas. Thaletis hypotheſin reſuſcitavit *Helmontius*, qui per menſtruum alcaheſt, profeſſus eſt, ſe omnia corpora (æthere excepto) in aquam reducere poſſe: hanc hypotheſin proſequitur nuperus *Hamburgenſis* nomine *Vanderbeke*, principium materiale & paſſivum ſtatuens aquam, activum vero effluvia corporum lucentium, ex quibus omnia hic circa terram vivificantur: ſupponit etiam diverſa & ſpecialia ſemina, ex quibus, & ex concurſu iſtius principii activi, excitantis ſpeciales potentias ſeminum quibus coagulantur, omnium corporum ſpecies producuntur: *Carteſius* univerſum integrari aſſerit, ex tribus elementis in ſe tranſmutabilibus & ordinariè tranſmutatis. Non deſitam & antiquatam *Zenonis* opinionem tanquam maximè probabilem, ut experiatur candidatorum acumen amplectemur, cum in ſcholis multis retrò annis, opiniones *Ariſtotelis* & *Carteſii* ſolæ ventilarentur, quæ tanquam multoties recocta crambe, naſeam auditoribus nunc præberent.

VI. Primus itaque & ſimpliciſſimus materiæ ſtatus, fuit ſine omni partium cohæſione, aut unione: & primus Dei actus circa materiam

riam fuit quarundam iſtius partium unio, & non maſſæ materiæ in particulas diviſio; ut ſupponit *Cart. prin. part.* 3. §. 46. Ex quibus indiviſibilibus corpuſcula quædam orta ſunt, figurâ inde reſultante imbuta, quæ corpuſcula ſunt ſimpliciſſima, & prima concretorum conſtitutiva, adeo exilia ut ratione tantùm percipi poſſint, ſed nullo ſenſu perceptibilia, quorum magna multitudo requiritur, ut ſub ſenſus cadant, & ex illorum corpuſculorum figuris, ſecundariæ uniones in majoribus concretionibus reſultabant. Materia & corpus non ſunt ſynonima: unius ratio formalis eſt impenetrabilitas: alterius extenſio: quies particularum non eſt cauſa unionis corporum, ut volunt *Carteſiani*: neque atomorum ſoliditas & pororum carentia, ut volunt *Atomici*: maximè probabilis cohæſionis tam firmæ cauſa eſt preſſura indiviſibilium verſùs commune medium ſeu centrum, quam preſſuram Deus quibuſdam materiæ partibus indidit: aliis materiæ partibus incommunicabilem; ideoque nec plus eſt, nec minus Ætheris, ignis, aquæ, aut alterius corporis ſimplicis cujus corpuſcula Deus univit, quam quod fuit in initio creatum, niſi fortè deinceps aliquid per omnipotentiam tranſmutatum ſit: hinc non ſequitur corpora miſta non eſſe tranſmutabilia, nam ſicut ex paucis literis omnes totius orbis linguæ oriundæ ſunt, & ut ex decem characteribus omnes numeri imaginabiles exprimuntur, ita ex paucis primitivis corpuſculis variè miſtis, innumeræ corporum miſtorum ſpecies produci poſſunt, nec opus eſt tot diverſæ ſpeciei atomis quot atomici comminiſcuntur.

VII. Omnes philoſophi concedunt materiæ modos eſſe principia activa multarum operationum in corporibus, *Cart. prin. part.* 2. omnia naturæ phœnomena modis ſolis aſcribit, omneſque alios modos à motu oriri autumat, in quo ſibi contradicere videtur: cum ex ejus hypotheſi, quies & figura angularis motum præceſſerint, nec minus erraſſet *Cart.* dicendo Deum eſſe ſolam motus cauſam, & omnes intrinſecas potentias motrices à Deo materiæ inditas rejiciendo, cum ſecundum eum, corpora quæ circulariter moventur, tendunt movere ſecundum lineam rectam: licet exiſtimemus *Atomicos & Chymicos* nimium materiæ ſuiſque potentiis motricibus (quas ſpeciatim minimè explicant) attribuere, & pariter *Ariſtotelicorum* formas ſubſtantiales, & potentias notionales & arbitrarias, quas gravitatis, tractionis, ſympathiæ & antipathiæ nominibus indigitant (in quibus nihil inquirunt præter nuda

da nomina) eſſe mera ignorantiæ aſyla, accommodatius tamen ad divinam prudentiam illos philoſophari opinamur, qui mediâ viâ inſiſtunt, volentes materiam eſſe automaton & potentiâ ſeu preſſurâ intrinſecâ motrici, quaſdam ejus partes eſſe præditas, quâ privari non poſſunt ab ulla potentiâ naturali, unde motus cum omnibus modis & exinde corporum varietates fluunt, quam ſi dicamus Deum perpetuò in omni alteratione procedere, ut in prima creatione. Leges motus a *Cart.* poſitæ variis experimentis refelluntur, & pariter id quod inde confirmare conatur, æqualem *ſciz.* eſſe quantitatem motus in univerſo, à creatione & in perpetuum: cum ejuſmodi leges obſerventur tantum quoad corpora dura & regularia, generalis concluſio inde inferri nequit, cum multo major univerſi pars ſit irregularis, mollis, lubrica aut fluida.

VIII. Licet motus, locus & tempus, ſint corporum affectiones maximè conſpicuæ: verè tamen dicit *Bernerius Gaſſendi* diſcipulus, nihil magis obſcurum & incertum eſſe quam quod circa hæc tria tradunt nobis Philoſophi: naturam motus clarius concipimus per ipſam vocem quam per ullam definitionem *Ariſtotelis*, *Epicuri*, *Carteſii*, vel *Rohaultii*; quas omnes inexplicabiles pronunciamus: difficultas explicandi naturam motus oritur ex eo, quod nequit explicari quid ſit locus; nam vel eſt extenſio diſtincta a corpore; vel eſt ipſa corporis extenſio, ſi prius tum illa extenſio vel eſt ſubſtantia, potentia, vel modus, vel planè nihil: quicquid determinemus; difficultates emergunt, quibus humana intelligentia abſorbeatur: ſi poſterius, quomodo motus diſtinguatur a quiete: ſi enim ſpatium, locus, & corpus ſint realiter idem, ſequetur motum conſiſtere in merâ mutatione diſtantiæ & vicinitatis, quæ mutatio cum non minus conveniat corpori quieſcenti, a quo corpus recedit, quam corpori recedenti, ſequitur motum eſſe æquè in corpore quieſcente ac in corpore quod moveri dicitur: ex eo quod natura loci & motus ſit inexplicabilis, ſequitur explicari non poſſe quid ſit tempus: idem ſentit *B. Auguſtinus* cum dixerit 2. *conf. c.* 14. quid eſt tempus, ſi nemo quærat a me, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio: variæ ſunt motus ſpecies. Projectorum continuatio in motu per fluidum medium, non fit ab intrinſeco principio in projecto, nec inde quod corpus ſemel motum ſemper movebit niſi impediatur a cauſis externis, ſed ab elaſticitate & preſſura aëris, ex pulſu enim projicientis

ficientis, crassiores partes medii ante projectum propelluntur, & tenuiores partes projecto fiunt propinquiores, unde oritur in medio conus, atque ita necessariò versùs conum istum aëris debilioris crassus aër post mobile procedit, & secum projectum defert.

IX. Motus alius est rectus, alius circularis, qui sunt pariter naturales, contra *Cart.* & certum est multo majorem materiæ partem movere circulariter, nempe Æther & corpora pleraque cœlestia. Imo si strictè loquamur motus rectus vix reperitur in universo: & si Deus solus moveat (ut vult *Cart.*) materiam, motus rectus non erit magis naturalis quam obliquus: cum uterque æquali facilitate & libertate a Deo procederet. Indistincta pariter & insufficiens videtur quarundam qualitatum sensibilium explicatio ab acutissimo illo Philosopho adhibita, gravitatis *sciz.* & levitatis, caloris & frigoris. Gravitas & levitas dependent a circulatione Ætheris, non tamen ab ejus conatu recedendi a centro, sed cum Æther cujus innumeræ sphæræ circumambiunt hanc terram per ascensum alicujus corporis solidi a circulatione divertatur, in corpus illud impingit & versus centrum terræ trudit. Si vero in corpora laxiora & fluida incidant ulterius deprimuntur & fluida inde sursum pelluntur & levia dicuntur, ac proinde corpora quæ locantur extra sphœras Ætherias nullam habent gravitatem aut descensum, vel levitatem aut ascensum. Calor non consistit in quolibet tumultuante & reciproco motu minutarum partium corporum cum in fluctibus marinis, præsertim cum contra littora aut rupes diffringuntur, sit talis motus, absque calore. Sed præcise consistit in rotatione igniculorum aculeata figura constantium, quâ alia corpora premunt pro diversa conditione igniculorum, & istorum corporum: frigus non consistit in quiete, cum sic nulla esset differentia inter frigus, firmitatem, & duritiem: sed potius in aptitudine corporis ad impediendam rotationem igniculorum, in qua calor consistit. Quies non est positiva nec motui contraria, sicut opinatur *Cart.* ejus tamen notionem raritatis & densitatis Atomistarum vacuitatibus & Aristotelicorum augmentationi & imminutioni quantitatis, præferendam censemus.

X. Datur linea quæ non potest dividi in duas partes æquales, omne triangulum non habet tres angulos internos æquales duobus rectis, nec omne habens angulos æquales duobus rectis est triangulum

terra

terra & aqua unum conſtituunt globum, hinc ſequitur plus contineri aquæ in vaſe ad montis radicem, quam in ejuſdem cacumine: cometæ nec inter ſtellas fixas, nec in Sphæra Planetarum, nec infra lunam, ſed in vaſto ſpatio inter Sphæras Planetarum & fixas locantur: dantur figuræ inter ſe æquales ubi perimiter unius eſt infinitè major perimetro alterius: poteſt fabricari horologium portatile quod cœco horas indicat: poteſt infans totam movere terram, modo aliam in qua ſtaret haberet: omnes Planetas ejuſdem eſſe naturæ cum terra, & ſicut eam inhabitari poſſe, rationi conſonum eſt.

XI. Demum ſi quæratur an dubitatio Carteſiana ad veritatem inveſtigandam ſit methodus neceſſaria? An clara & diſtincta perceptio ſit unica regula veritatis? An præcipua mentis in corpore ſedes ſit glandula pinealis? An aliqua alia cerebri pars? An plures in ſolidum ejuſdem rei Domini aut poſſeſſores eſſe poſſint? An aliquis plus juris in alium transferre poſſit quam ipſe habet? An minori vel ruſtico delinquenti judex ratione minoris ætatis & ruſticitatis neceſſario cogatur pœnam mitigare? An pactum præſentium plurium creditorum quo debitori ex debito ſit remiſſio, noceat abſentibus paucioribus etiam privilegiariis: qui dotem promiſit, an in quantum facere poteſt, an vero in ſolidum condemnandus ſit? An ad interceſſionem puellæ, vel etiam viri, condemnatum condemnatamve in matrimonium, petentis, venia ſit tribuenda? An vacuum ſit poſſibile, impoſſibile, an neceſſarium? An diſpoſitio mundi per vortices *Carteſii* ſit poſſibilis? An rationes experimentorum *Boyliani*, *Torricelliani*, *Magdeburgici*, petendæ ſint a gravitate & elaſticitate aëris? An ab horrore naturæ erga vacuum? Num terra an ſol moveatur motu annuo? Num rerum phœnomena per *Ariſtotelis*, *Gaſſendi*, an *Carteſii* principia concinnius explicari poſſint, cum de hiſce nobis nondum ſufficienter conſtet, opponentis arbitrio determinandum relinquimus.

Seneca *Puſilla res mundus eſſet, niſi in eo quod quærat omnis mundus habeat.*

FINIS.